



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. X. De Sodalibus ord. S. Trinitatis testimonium Iacobi Vitriaci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

IN PROVINCIA A-
ragonæ Monasteria tri-
ginta.

IN PROVINCIA CASTELLAE
Veteris Monasteria quin-
decim.

IN PROVINCIA CASTELLAE
Nouæ Monasteria viginti
& vnum.

Ita Choppinus lib.1. Monasticarum Re-
rum tit. vltimo, art.12.

CAPVT X.

*De Sodalibus ord. S. Trinitatis testi-
monium Iacobi Vitriaci.*

EST alia Regularium fratrum clericorum,
& laicorum sancta, & Deo accepta Cōgre-
gatio, in omni loco habitationis suæ, sub titu-
lo S. Trinitatis Domino militantium, vn-
de & fratres sanctæ Trinitatis appellantur, v-
ni summo huius ordinis Priori per obedi-
entiam humiliter subiecti. Habent autem in
diuersis regionibus Priores minores & Con-
gre-

gregationes particulares; caput autem ordinis in Ecclesia S. Trinitatis Massiliensis præfecerunt. Hi siquidem viri sancti arctam religionis viam ingressi, carnibus non vescuntur, exceptis diebus Dominicis, & quinque magnis solemnitatibus Vinum vero secundum ordinis instituta licet eis bibere, emere autem non licet, carnis non utuntur, neque lintheaminibus aut plumis. Humilitatis Christi formam expressius imitantes, aut pedibus ambulat, aut super asinos equitantes incedunt; alijs autem animalibus ad opus equitandi non utuntur. Albis autem & laneis tunicis diebus & noctibus induti, cappis albis exterius, crucem bipartitam ex rubeo & nigro in medio pectoris affigunt. Et quoniam ad comparationem pietatis exercitatio corporis ad modicum valet, adeò misericordiæ operibus affluunt, ut de omnibus bonis suis semper in honorem S. Trinitatis tres partes faciant: vnam partem ad redemptionem captiuorum, qui in vinculis Saracenorum detinenter; aliam ad sustentationem pauperum infirmorum, quos in domibus suis misericorditer recipiunt, in proprijs personis humiliter ministrantes; tertiam partem ad usus suos reseruant, ut sobriam & pauperem vitam utcumque valeant sustentare. In hac igitur amplitudine charitatis, & affluentia pietatis, velut speculum facti sunt multis regu-

*Ibi olim
fortasse,
nunc a-
libi, vt
supra
dixi-
mus.*

Matt. 6.
& 14.
cap.

regularibus avaris, & imitationis exemplum meticulosis fratribus & filiis diffidentiae, qui semper in anxietate & sollicitudine de castino cogitantes curis huius saeculi praegravantur, dicentes in cordibus suis: *Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Modicae fidei quare dubitasti? Quis vidit iustum derelictum, aut semen eius quaerens panem? Qui seipsum tibi tradidit, necessaria tibi negabit? Qui volucres caeli pacit, & lilia agri candidis induit vestimentis, Dominus scilicet, qui sollicitus est tui, si primum regnum eius & iustitiam quaerieris, haec omnia non adijciet tibi? Quoniam igitur huiusmodi pusillanimes, & falsi nominis religiosi circa fidem languentes & de diuinis promissionibus haesitantes, seipsum Domino committere formidant, illic trepidantes timore, ubi timor non est, semper manus habent porrectas ad accipiendum, collectas autem & aduncas ad retinendum, sibimetipsis ieiunantes, crumenas autem impinguantes, facies suas macie exterminantes, annis singulis quaecunque possunt reseruant, ut novas emant possessiones, de pauperibus autem non curant. Exercitationes siquidem corporum sibi ad salutem sufficere, pietatem, quae valet ad omnia, a se & a domibus suis alienantes, proiecerunt, & prorsus exulare coegerunt. Ita Vitriacus Cardinalis & Epif-

piscopus Aconensis , qui anno 1240. floruit.

CAPVT XI.

*Ordo sanctæ Mariæ de Mercede &
Redemptione captiuo-
rum.*

Hic ordo anno 1218. per *Iacobum I. Aragoniæ Regem*, & *S. Raimundum Pennafortium*, monachum, Dominicanum institutus, partim monachos, partim Equites complectitur. Ceterum vt *Trinitarij* (de quibus supra diximus) sic & *Mercenarij* ex professo tenentur stipem colligere, eamque captiuis à seruitute Turcica, ac Maurica liberandis impendere; quod & sedulò præstant, ingenti ære quotannis in Africam, Asiam, & Græciam per suos misso.

CAPVT XII.

*Ordo Cruciferorum seu Crucigerorum,
in Italia, & alibi.*

Nec prætereundi sunt Crucigeri, quorum initia bini Pontifices, Alexander tertius & sextus, in quibusdã diplomatibus ad *Cletū, Petri*